



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Natales Sanctorvm Belgii, & eorundem Chronica  
Recapitvatio**

**Molanus, Johannes**

**Dvaci, 1616**

Vigesima nona Augusti.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-9477**

## Vigesima nona Augusti.

## De sancta Verona virgine.

*Ex informatione accepta ad diuam Veronam, ac alibi.*

**I**N territorio Louaniensi, natalis VERONÆ virginis beatæ. Hæc quiescit inter Louaniū & Furam, in ecclesia sanctæ Crucis, quæ modò dicitur ad sanctam Veronam, iam pridem in Camerensi, nunc in Mechliniensi diœcesi. Natalem habet in die decollationis Baptistæ, quem etiā in lacero Missali in Egenonis curia antiquissimis characteribus, sequentibus verbis notatum obseruauit: *Veronæ virginis beatæ in ecclesia sanctæ Crucis.* Non est tamen, præter morem Gallicanæ ecclesiæ, ex humo eleuata, sed in medio ecclesiæ sepulcrum virginis frequentatur, & extra ecclesiam fons eius contra febres potatur. Vidi de ea proprium officium in Lembecana S. Veroni fratriis sui ecclesia, ubi à plebeis Veronica nominatur.

a Teutonice, Eegen-houen.

## Die trigesima Augusti.

## De sancto Agilo, abbe Resbacensi.

*Ex vita sancti Audoëni, ac aliunde.*

**R**Esbaco monasterio cognomento Ierusalem, sancti Agili, eiusdem loci abbatis, qui multis virtutibus claruit. Habitauit extra Belgum in diœcesi Meldensi, intra Brigensem saltum, ad fluuiolum